



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudiendæ morem, &
frequentem vsum Confessionis, & Eucharistiæ restituunt. Cap. VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

nis nocturnisq. laboribus letali morbo correptus, ex hac vita migrauerat, cum alijs mirę cuiusdam sanctimonię relictis indicijs, tum vero quod qui ante obitum subniger fuisset, ac vultu deformior, in eiusdem demortui facie tantus repete nitor ac venustas apparuit, vt eo spectaculo Codurius consors prouincię animum exsaturare, & præ lætitia fletum cohibere non posset. Huius igitur tam felici exitu maiorem in modum gauisus Ignatius, è Casinate Romam vna cum Ortizio peracta commentatione regrediens; obuium habuit in itinere Frãiscum Stratam Hispanum, præclarę indolis iuuenem, sibi antea non ignotum: qui cum è cuiusdam principis viri familia, pertæsus aulicę vitę, militandi causa Neapolim peteret, vno Ignatij congressu atq. sermone (quæ hominis erat in dicendo vis) à sæculi stipendijs ad Christi vexilla facili negotio traduci se passus est: ac varijs deinde locis, eiusdem Ignatij missu, & Societati nostrę, & rei Christianę vniuersę concionator egregius haud mediocriter profuit. Hoc igitur auctus commilitone Romam Ignatius reuertit: ad quem deinceps aliquot etiam alij rebus gerendis idonei diuino impulsu paucis diebus adiuncti sunt.

Romam Patres vniuersi conueniunt: veterem plebis erudienda morem, & frequentem usum Confessionis & Eucharistię restitunt. CAP. VII.

VÆ dum ardens Christi amore diligenter agit Ignatius, interim Patres ceteri, sua quisque prouincia bene gesta, Romam
(vii)

(vti decreuerant) circa mediam Quadragesimam cōuenere. Is fuit annus post Christum natum M. D. xxxviii. Tecto recepti sunt à Quirino Guarzonio ciue Romano, ad villam Minimorum fratrum cœnobio proximam. Ibi in summa omnes egestate precario victitantes, cōmuni consilio ad rem Christianam pro viribus adiuuandam aggressi, permissuque Antistitum varia Vrbs templa sortiti, concionibus primum ciuitatem ad omne officium atq. virtutem vehementer accendere; deinde etiam veteri Ecclesiæ instituto plebem puerosq. Christiana catechesi (quæ iamdiu obsoleuerat) vicatim erudire institerunt. Ac licet pijs eorum studijs dæmon omni conatu se opponeret; tamen partim exemplo vitæ, partim assiduitate dicendi hortandique, cum alia multa propediem assecuti sunt, tum vero præcipue, vt sacræ Confessionis & Eucharistiæ frequens vsus (quo nihil est humano generi salutaris) diaboli fraude iam pridem extinctus, magno vtiq. Christianæ Reip. commodo in principe magistraque orbis terrarum Ecclesia reuiuisceret. ex quo deinde paulatim effectum est, iisdem scilicet adiutoribus, nō solum vt in Italia, Gallia, Hispania, ceterisq. catholicis Europæ regionibus, verum etiam vt in ipsa India, atq. adeo in vltimis terris, vbi paulo ante feræ dæmonum dapes & nefaria sacra viguerant, iam nunc, ingenti bonorum gaudio, per Pænitentiaæ Sacramentum frequenter elutis animi sordibus, diuina passim conuiuia celebrentur.

Falsis